

lius, e) aliquique iudices idonei, uno ore testantur ita scriptum esse in membranis, ut notas et signa vetustatis certa neque ullo modo dubia ostendat. Neque vero e bonitate et antiquitate horum Codicum recte collegi posse, quis non videt? Carmina ipsa, quae in iis seruata fuere, omnia composita esse a poëta quodam melico, qui, Polycratis, Samiorum tyranni, Cyriue maioris, saeculo, floruerit, et cuius patria Teos, Ioniae opidum, fuerit; quum multa huic rationi repugnare reperiuntur. Etenim quanquam Athenaeus, Hephaestion, aliquique, et scriptores, et Grammatici, veteres multos versiculos, multas particulias, multorum Carminum Anacreontis laudant: tamen nullum locum ex quinque illis et quinquaginta Odariis, quae a Stephano prolata sunt, afferunt, multo minus ita afferunt, ut eum ex Anacreontis libris sumtum ostendant, praeter Odarium septimum decimum, duoque versiculos duodequadagesimi. Hi enim, et ab Hephaestione, et

e) Van. Crit. p. 7 *Ob-  
iuleram quoque collationem  
eiusdem poëtae, a me ad  
antiquissimam et fere uni-  
tām membranam Vaticanam* institutam. Obseruatt. mi-  
scell. p. 364 Vol. 2 *fi  
Vaticano Codici veterrimo  
fides — illa enim membra-  
na —.*